



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsente[m] XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

Praeceptvm IX. Et X. Non Concvpiscas Domvm Proximi Tvi, nec
desyderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non
asinum, nec omnia quae illius sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

At rursus si id feceris, omnia in te irritabis, & mox occideris. Et id est, quod deus uult, ut quantocyus propter uerbum eius e mūdo eijciamur, & occidamur, & coronā iustitiā quāto cyus accipiamus. Hæc est uera & spiritualis huius præcepti intelligentia.

PRAECEPTVM IX. ET X.

NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI,
nec desyderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam,
non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Hæc sunt in sexto & septimo inclusa, quia secūdū expositionē Christi, ibidem prohibetur omne desyderiū & cōcupiscentiā uxoris & rei proximi; nam qui uiderit mulierē ad cōcupiscendū eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Deinde auaritiā & cupiditatē adeo damnauit, ut etiā tunicam dandam iuberet ei, qui palliū abstulerit. Verū uidetur meo iudicio istis duobus præceptis prohiberi ipse fomes, & inuincibilis cupiditas, ipsa in quā radix malarum cogitationū, ut scilicet sexto & septimo intelligantur prohibiti cōsensus cordis, & signum membrorum, uerbum oris, & opus corporis mali, hic uero etiam ipsi primi motus una cum fomite, qui est origo illorum. Nam oportet nos ita puros fieri, anteq̄ in regnum cœlorum ueniamus, ut nec motus mali in nobis sint, nec ullus fomes ad malum inclinans, sed perfecta sanitas corporis & animæ, ab omni prorsus uitio, quod sane in hac uita non fiet, nec est in potestate nostra. Quis enim gloriabitur se mūdum habere cor? quis hunc ignem intimissimū extinguet? cū Apostolus clamat aduersus hanc membrorum legem, & legem peccati. Ideoq; oculos, aures, omnesq; sensus intus & foris cohibemus, ne regnet peccatum in nobis, sed concupiscentiam nullus cohibere potest. Ideo deniq; deus misericors statuit corpus nostrum in puluerem redigere, & per ignē uniuersalem incinerare, ut cōsumatur omne uitium carnis nostræ per ignem, adeo odit deus hanc immunditiam. Et hinc sequitur, quod sola ista duo sunt præcepta, quæ a nullo quātumlibet sancto, aliquo modo implentur: Cætera omnia implent, quia opus, uerbum, cōsensum, fortiter opprimunt, sed hic manent rei & peccatores, quia nihil de istis præceptis implent, cum sint infecti inuincibili cōcupiscentiā carnis & rerum, ideo omnes peccant, & egent gloria dei, ideo omnes orant; Sanctificetur nomen tuum, si uolūtas tua; Dīmītte nobis debita nostra; Ideo omnes desperāt in meritis suis, timore suæ immūditiae, & confidūt de misericordiā dei, ut sic beneplacitum stet dei sup̄ timentes eum, & sperantes in misericordiā eius.

Hinc etiam dissoluitur concertatio illa Scholasticorū doctorum, an illa duo præcepta aliud prohibeant, q̄ sextum & septimum, item an sint diuersa præcepta, & frustra laborant, dum hæc duo de cordis intelligentia operibus, quæ non possunt negare in sexto & septimo esse prohibita, ac sic eadem repetita, & frustra posita hæc duo, cū sint eadem cum illis; nec possunt dicere, quod illic opus hic uero cogitatio, seu illic manus, hic cor prohibeantur, quia Christus ipse resistit, qui illa de utroq; intelligenda docet.

Restat ergo ut Apostolū Paulum sequamur, qui illa duo in uno concludēs dicit; Concupiscentiam nesciebam peccatū, nisi lex diceret; Non cōcupisces. Rhomanorū

Cupiditas & fomes prohibetur.

Puritas interior regnū cœlorū sit sine malo motu.

Hæc duo præcepta a nullo quātumlibet sancto implentur.

Sancti desperant de meritis suis.

Rhomanorum, vij. Et late ibi prosequitur, illo teneri omnes sanctos etiam se ipsum, ergo fomitis malum, & (ut sic dixerim) essentialis seu causalis impunitas in nobis hic prohibetur, qui ergo omnia illa superiora se putat implese, saltem hic uidet sese immundum, & egere se Christi mundicia, pro sese oblata & acceptata a deo patre misericordiarum.

Porro Iudaeorum uel potius porcorum intelligentia, indignior est, q̄ ut in Iudaeorū fedi
sus refutatur praecepta haec admittatur. Dicunt quod sexto & septimo prohibeatur opus solum, & nono ac decimo conatus exterior, & indicium operis manifestum, quo modo & apud Iuristas conatus punitur, ut si quis rapere inciperet filiam alicuius, aut pararet insidias uitae alterius, plectitur capite. Ac sic apud eos cogitationes & uerba sunt libera, plena dolo, & ira, & amaritudine, & omni (ut Christus ait) spurcitia, quia mundant id quod de foris est, intus autem plenum est auaritia & omni iniquitate. Ideo synagoga est illa mulier, quae propter foeditatem suam, dato libello repudiij, dimissa est.

Haec sunt decem uerba (ut ait Moses) in quibus prorsus omne mandatum salutare continetur; & licet possint redigi in pauciora, rursus distribui in plura, tamen placuit deo in denario numero illa ponere, qui est numerus uniuersitatis perfectaeq; summæ, ut sicut omnia olim contingebant in figura, ita & numerus iste denarius praeceptorum ideo assumptus est, ut figuraret omnium praeceptorum summam. Denarius nu
merus.

FINITIS praeceptis decem, nunc reducenda sunt ad illa tam multa genera peccatorum: siquidem nullum est peccatum, nisi quod contra praeceptum sit dei. Nescio enim an confessuris expediat tot differentijs peccatorum memoriam onerare, & sacerdotē fatigare, ut sunt omissio & commissio, deinde corde, ore, opere. iij. quinque sensus. iij. sex opera misericordiae. v. septem sacramenta. vij. septem peccata mortalia. vij. septem dona. viij. octo beatitudines. ix. nouem aliena peccata. x. decem praecepta. xj. duodecim articuli fidei. xij. duo decim fructus spiritus. Ultra haec sunt quatuor uirtutes Card. & tres Theologicae. Itē peccata muta, peccata clamantia in caelum, & tandem peccata in spiritum sanctum. Obsecro quid prodest ista confusio, & distractio mentis? Ita haec obseruantur, ut etiam necessariū existimēt nomina differentiarum & distinctionum numerare, ad perdendum scilicet tempus, ad obtundendum confessorē, ad perturbandum seipsum, ut maiore cura, horum memoria labore, q̄ contritionē meditef. Itē ad alios etiā impediendum. Ex ignorantia docentium iste tumultus confessionum natus est, cū confessio debeat esse breuis & aperta, ut cito possit expediri uterq; Confessio sic
breuis.

Igitur peccata mortalia primū accipiamus, quorum numerus uidetur ex Ioan. Chrysostomo sumptus. Hic enim septem gentes Cananæorum Deut. vij. exponit. vij. uitia, moraliter uolens oīa peccata sub ihs cōprehēdi, magis ratione numeri septenarij, qui est uniuersitatis symbolum, q̄ proprietate nominū. Nā alij faciūt octo, alij nouem, addentes inobedientiā & uanam gloriam, tum alij diuidētes matres in filias, & in species genera, tota in partes integrales & subiectiuas, infinita ex illis deduxerūt, & maria peccatorum, interim nihil de praeceptorum uera intelligentia solliciti. Septem p̄c̄a
mortalia un/
de dicant, &
q̄ nō necessa
rio ad eū nu/
merū coartāt

Igitur non tm̄ septem sunt peccata mortalia, nisi uoluntaria diuisione, non necessaria ratione, uel autoritate, sed possunt tum pauciora, tum plura esse, secundum quod uaria tropologia in scripturis occurrerit. Vnde Be. Augusti. in duo diuisit, scilicet igne accensa & suffossa, id est, amorem male accendentem & timorem male humiliantem.

Superbia est cōtra primū praeceptum. Primū itaq; mortale peccatum est Superbia, quæ est duplex: Exterior, quæ in bonis corporalibus est; Interior, quæ in bonis spiritualibus est, & ideo temp est cōtra primū mandatū. Quod patet, quia nō habere aliū deū, hoc est, in nullo cōfidere, placere, gaudere, delectari, frui, q̄ in deo solo. At supbia nūc in diuitijs, nūc in viribus, nūc in forma & uestitu, nūc in potētia & honore, nūc in nobilitate. Itē intus in sapientia, arte, ingenio, iustitia, uirtute, sanctitate confidit, placet. Hac bona creata eo actu colens, q̄ soli deo debetur. Siquidē supbia re duo importat: Primū, sibi placere; secūdū, alios fastidire, ideo includit uanā gloriā intus, quæ si erumpat foras, eo peior est. Ideo supbus dum sibi alicuius boni conscius est, nō in illo deū colit, aut gratias agens in eum refert glorificādo, sed stat in seipso, delectatus super se, & euanescit in cogitationibus, tunc simul aduertit eum, qui talia non habet, quē cū sibi cōparauerit, necessario fastidit, & tunc dicit se esse aliquid, illum nihil. Et impletur illud Ro. i. dicentes se sapiētes stulti facti sunt; ita dicentes (scilicet intus apud se) se iustos, pulchros, diuites &c. iniusti, foedi, paupes facti sunt. Apoca. iij. Dicitis, quia diues sum & locuples, & nescis quia pauper es, & miserabilis, & nudus.

Modestia. Sic itaq; superbix substantia nō est, nisi ubi sese uiliori comparauerit, uelut desursum ad infima despiciens.

Econtra humilitatis substantia nō est, nisi ubi sese meliori cōparauerit, uelut sursum ad summa suspiciēs. Igitur quatuor pedes habet superbia, petulcus ille, & crassus uitulus, scilicet: Ignorantia mali sui, Scientia boni sui,

Quatuor rebus cōstat superbia.

Hæc est ignorantia uera }
dei
sui ipsius

Hūilitas ex quatuor rebus. Ignorantia boni alieni, Scientia mali alieni. Huius quadrati contrariū habet quatuor pedes humilitatis, scilicet, Ignorantia boni sui, Scientia mali sui.

Hæc est cognitio uera }
dei
sui ipsius

Inclinatio ad superbiam nō est cōfitenda. Ignorantia mali alieni, Scientia boni alieni. Igitur nō opus est, ut confitearis te pronum esse ad superbiam; Quia semper sumus superbi omnes, nec ullus omni superbia caret; Sed tantū, si obedieris concupiscentiæ eius, & consenseris, uerbo, opere uel corde. Reliquum deo quærē dum, occulto gemitu, & confessione abscondita in cubiculo, ut ipse per gratiā suam malum illud radicis antiq̄æ destruat.

Dictum est de superbia, quomodo phibita sit sub primo praecepto, eo quod initium peccati sit superbia, seu quod idem est; Initium peccati apostatate a deo scilicet sibi ipsi idolum fieri, sibi placere, in seipso delectari, potius q̄ in domino, ac sic alienū deū colere in semetipso, quod est grauissimū & primum peccatum, licet nemo sit ex Adam q̄ diu uiuimus, qui non aliqua ex parte hanc in sese idololatriā agat. Ideoq; semp sibi pœnitendū & gemendū de sui placencia

Auaritia sub tribus praeceptis cōtinetur. NVNC DE AVARITIA dicendum, quæ est cupiditas, radix aque omnium malorum, secundum Apostolū, eo quod uolentes fieri diuites, incidunt in laqueum diaboli, & multa desyderia inutilia & nocua.

Hoc uitium sub duobus praeceptis prohibetur, immo sub tribus, scilicet sub septimo illo: Non furtum facies. Et ultimo: Non concupisces rem proximi tui; Et sub primo. Cum enim sub septimo prohibeatur omnis tractatio rei alienæ ut dictum

fit dictū est, & preceptū quodlibet, ut dictū etiā est, est ita spirituale, ut nō tantū opus & fructum & folia & ramos, id est opera, uerba, signa prohibeat, sed etiā radicem & succum, id est cupiditatem ex qua talia ueniunt, manifestū est, avaritiam sub furto prohiberi, cum eadem sit radix & furis & avari, scilicet cupiditas. Item cum sub ultimo prohibeatur ad literam concupiscentia rei proximorum, manifestum est, etiā fontem & caput huius concupiscentiæ prohiberi in spiritu: sed hæc est avaritia. Ideo omnium propriissime, ultimum præceptum prohibet, ultimum illud & uiuacissimum omnium uitium, quod cum senescentibus iuuenescit, & cum morientibus uiuit.

Verū apostolus Paulus Ephe. v. suo sensu altius incedens, dicit: Quod avarus sit idolorum seruus, id est, cultor, ac sic sub primo mandato illud ponit, quod etiam facit Baruch tertio: Qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confundunt homines. Et Psal. lxxvij. in spiritu dicit: Et seruierunt sculptilibus Canaan: Canaan est negociator, quorum sculptilia quid aptius, quæ monetas & numismata, uasa aurea & argentea, domus & alias possessiones significant: Denique ideo in lege potissimum prohibemur fabricare deos aureos & argenteos. Et prima idololatria populū in auro facta est, sub aureo uitulo: sed & maxima similiter tempore Hieroboam sub uitulis aureis. Inde recte Apostolus, aurū, idolam intellexit, aurum idolorum cultorem uocans, & in latino nō paruam habent consonantiam aurum & auarum, auri auro, avari auaro, una tantum litera differunt, ut aurum ab auere dici uideatur. Igitur Apostolus idololatrem auarum uocans, eo ipso satis exponit primum mandatum, quod cor hominis in solum deum confidere debeat. Nam eodem sensu & gulosos & libidinosos dicit esse uentris cultores, quorū deus uenter est, inquit. Verū isto sensu omnia præcepta sunt in primo præcepto, tanquā in capite suo. Nam omne peccatū est cōtemptus dei, ac per hoc ipsum contra primum præceptum, nec potest aliquod præceptum lædi, nisi simul & primum lædatur, quod continet omnia, quia dei uoluntas in omnibus offenditur, & postponitur nostræ, ac sic deus non colitur, immo alius pro eo colitur: proprie tamen avaritiam contra illud posuit Apostolus, quia imaginibus illa delectatur auri & argenti, multum similis ueræ idololatriæ. Cætera autem non ita simulacra, & imaginæ habent. Ideo redeundo concludamus, quod nullus pure uacat avaritia, sicut dicit Esa. & Hiere. Omnes a maximo usque ad minimum sequuntur avaritiam, beatus qui minus. Idcirco sequitur, hanc inclinationem corruptæ naturæ omnes oportet gemere coram deo, sed non nisi opus eius internum uel externum confiteri coram sacerdote. Et qui diceret se inuacuum esse cupiditate, magna certe superbia sibi arrogaret summam puritatis perfectionem. Ideo beati qui lugent, quoniam lugendi materiam habent in seipsis, super seipsos, ut dominus dixit ad mulieres sequentes.

Tertium mortale peccatum, est luxuria, cuius species satis dictæ sunt sub sexto præcepto: Non moechaberis, & nulli dubium, quin illuc pertineat, ideo indicasse id sufficiat.

Quartum, Gula, soror, immo irritamentum & procus, & minister luxuriæ, sicut & Ethnicus dicit: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Hoc uitium Apostolus Philip. iij. sub primo mandato locat, dicens: Quorum deus uenter est. Idem Rhomano, decimosexto facit. Huiusmodi non Christo, sed uentri suo seruiunt. Potest autē simpliciter sub sexto præcepto poni: quia ubi libido, prohibetur, ibi certe & omnis occasio & fomentū libidinis, phibetur. Inter oia autē fomenta libidinis, maximū & fortissimū est gula, cuius ratio est, quia internū, cetera ut aspectus

Auarus idolorū seruus.

Vorax est uentris cultor.

Omne peccatū est cōtemptus dei.

Inclinatio corruptæ naturæ non sacerdoti, sed deo cōfitenda

Libido.

Gula sub sexto præcepto

Libidinis fo-
menta.

ut aspectus, colloquium, auditus, tactus, sunt externa. Gula autem inflat uenas & prouocat totum corpus ad libidinem. Nam & gentilis Plinius dicit, libidinem portentosam sequi post ebrietatem. Et B. Hiero, ad Eustoch. & alias dicit, nihil ita mouere libidinem, sicut cibum indigestum: ideo gulofus, uolens se tradit in libidinem. Sic etiam & ocium, & pigritia, somnolentia, strati mollitudo, omniaque alia libidinis mancipia, prohibita sine dubio intelligendum est ibidem. Et nisi gulofus statim occupetur labore multo, inuicta capietur libidine & titillatione. Vnde B. Hiero. Venter mero astuans, cito despumat in libidinem. Vide quomodo libido sit quodammodo uelut naturalis spuma gulae, sic fumus naturale ignis, & spuma nouiter infusi uini, & bullitio feruoris aquae. Quis haec prohibere potest, nisi summa uolentia?

Mediā ad
castitatem.

Qui ergo praecipit castitatem, sine dubio & mediā castitatis praecipit, ut sobrietatem, uigiliam, laborem, orationem, lectionem, meditationem, studium, officium in proximum, frigus, aestum, pauperiem &c.

Vomitus
ebrijs pro/
dest.

Hic tamen notandum, de uomitu multi sibi maiorem conscientiam faciunt, quam de ipsa suffusione & ebrietate, sicut multi magis pollutionem nocturnam, quam ipsam causam eius, cogitationes, crapulasque ponderant. Sed certe uomitus non est res mala, nec peccatum unquam, cum uel fiat inuite, uel cum dolore. Idcirco non solum non fugiendus, sed etiam quarendus est uomitus ebrijs, ut Ecclesiast. xxxj. Si coactus fueris multum bibere, surge & uome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Hoc consilium sapientis acceptandum est, & non sine ratione. Quia, inquit, refrigerabit te, i. alleuiabit. Valet enim illa exoneratio, ut non ita inflent uenas, & surgat pruritus carnis, dum facilius digerit, quod minus remanet. Melius est enim uomitu euadere libidinem, quam oppletione subire libidinem.

Secundo, quia infirmitas corporis uitatur, ut laesio capitis & omnium sensuum & uirium. Quis autem non maius peccatum putet, totum corpus laedi suffusione & retentione, quam uomitu ab eo periculo liberari? Vitam enim abbreviare maius malum est, quam uomere, immo uomere nullum malum, sed repleisse te, & ingurgitasse, ut uomitu egeas, malum est.

Ebrijs

Et utinam sub praeepto omnes ebrijs & suffusi uomere cogerentur, spero tandem horrerent ebrietatem, dum scirent se cito oportere uomere quod biberent, quamquam & modo cogantur mingere, & uentrem soluere, nihil tamen mouentur exinde.

Quod autem scriptura aliquando uomitum reprehendit, ut canis reuersus ad uomitum, & Esa. Mensa repleta uomitu, intelligitur de uomitu boni, & salutaris uerbi, quod retinere debuit.

Tertio, si uenenum, aut aliud noxium aliquod bibens, sine peccato uomit, cur cum peccato uomit, qui uinum, aut potum alium ita bibit, ut ueneno simile nocumentum inferat? Igitur conscientia est habenda infundendo, non effundendo, cum sibi multis malis seruiatur contra praeeptum dei, hic uero multis bonis contra nullum, immo pro praeepto dei.

Gula non sem-
per peccatum.

Species & differentias gulae omitto, quia non semper sunt peccata mortalia. Siquidem nec ipsa gula semper est peccatum mortale, immo raro, nisi sit usu.

Ira

Quintum mortale, est ira, quae satis sub quinto praeepto est declarata.

Inuidia sub
quinto praeepto
continetur.

Sextum, inuidia, quae non debuit distinguui ab ira, cum sit nihil, nisi inueterata ira, sicut Beatus Augustinus in regula: Ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca. Nam ira est recens uirgula. Inuidia est arbor & trabs magna. Igitur & haec, sub quinto praeepto est autoritate Ioan. apostoli: Qui odit fratrem

fratrem suum, homicida est.

Septimum est, acedia, quæ est tadium boni, pigritia, *acedia* Græce, quæ est duplex; una in cultu illo figuratiua dei & exteriori, ut sunt, ecclesiam uisitare uerbum dei audire, orare, legere, meditari, cantare, & sic est phibitum uitium sub tertio mandato; Sabbata sanctifices, ut satis patet.

Alia est subtilior & interior in toto, & omni genere seruitutis dei, & sic est nihil aliud, nisi inceptæ iustitiæ fiducia, & proficiendi negligentia, stare in uia dei, tepescere, securum fieri, timorem dei remittere. De quo uitio hypocritarum tota scriptura loquitur. Hæc enim facit iusticiarios securos, ante quorum oculos non est timor dei, & auferuntur iudicia dei a facie eorum. Horum fiunt nouissima peiora prioribus, quia inuenit diabolus domum eorum ornatam, sed uacantem & securam, ideo ingressi habitant ibi. O horribile uerbum nimis, Hypocrite securi sunt.

quod, habitant ibi, quia indurantur, qui eiusmodi sunt post inceptam iustitiam, longe magis quam prius, ut experientia uidemus, quomodo nihil mouentur ad omnia quæ audiunt, se non tangi credunt, & facti sunt uere progenies uiperarum, palea igni inextinguibili præparata. Igitur hoc uitium sub omni præcepto comprehenditur, cum in quolibet sit proficiendum.

Sed nescio an sit confitendum. Credo quod non, quia est spiritalis defectus deo

soli, qui & solus ibi mederi potest, apertus.

Ingressi habitant ibi.

Spiritalis defectus non debet confiteri.

SERMONVM DE DECEM
præceptis, quos R. P. Marti
nus Lutherus ad popu-
lum Vuittenbergen-
sem dixit,
Finis.

Sermo